UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. XI. De auxilio quod S. Iosephvs animi morbis adfert, & præcipuè eorum conuersioni impendit, qui in malo statu versantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46266

Visual Library

# CAPVT XI.

*De auxilio, quod S. IOSEPHVS animi morbis adfert, & præcipuè eorum conuerſioni impendit, qui in malo ſtatu verſantur.*

ADMIRANDA S. Tereſiæ viſio fuit, quæ illi feſto Deiparæ ad cælos Aſſumptæ die oblata eſt, cùm meditatione vitæ ſuæ præteritæ peccata expenderet. Diuinitus enim extra ſe rapta, videbatur ſibi candidâ & mirè ſplendenti tunicâ indui: & initio quidem, à quibus hic amictus ſibi inijceretur, non videbat, ſed paulò pòſt agnouit, ex vnâ parte Dei Matrem, ex alterâ S. IOSEPHVM adfuiſſe, intellexitque hoc ab illis factum, vt ab omnibus eam noxis purgarent. a Hinc ego colligo, quantam curam ac deſiderium SS. Sponſus MARIÆ adhibeat, animi vitia in nobis curandi, ac eos puritati reſtituendi. Vnde ſi quis impotenti af-



a *P. Ribera in eius vitâ cap. 22.*

ſectu laborat, non eſt tunc promptius remedium, inde ſe expediendi, quàm ſi S. IOSEPHVM inuocet. Ac paſſim tam præſens hæc medicina à multis habetur, vt quotidie, dum vnus alteri eius pietatis fructum dilaudat, in prauarum cupiditatum edomatione ſingulares victorias cernamus, pluribus in communi vitâ hodie longè à ſe diuerſis, qui priùs nihil omnino quàm ſua cōmoda ſectabantur, ac maximas minimasque ſenſuum oblectationes captabant. Vidi nonnullos, qui imperare ſibi non poterant, quò minùs in verba mordacia, facetias, voces contentioſas ſuæque opinionis tenaces, ridicula cognomina ad lędendam charitatem nata prorumperent. Cum quibuſdam alijs fui, qui ab hominibus minùs ad ſuum ingenium factis erant vehementer alieni, vt neque illorum congreſſum, neque colloquium, neque aſpectum quidem, aut occurſum poſſent ſuſtinere. Alios inſuper noui, incredibili amore quorundam hominum in-

ſanientes, qui aliud eos cogitare tempore laboris, orationis, aliarumq́ue occupationum non patiebantur, quàm vt illorum meminiſſent, magnâ mentis immoderatione, & ſequelis nonnunquam puritati aduerſantibus. Sed hæc omnia ſunt abolita, affectusq́ue omnes quibuſdam S. IOSEPHO in eum finem obſequijs edomiti. Conſuetudo illa pruritusq́ue maledicendi, cogitationes triſtes, vnde animorum offenſiones coquebantur, poſt ſolas preces ad eum Diuum peractas, herum mutârunt. Amor ille perditus; qui tres propè annos obtinuit, paulò maiori operâ fuit à radice conuellendus: ſed poſtquam is, qui hoc morbo laborabat, nouem dierum ſilentium eam ob cauſam ſibi indixit, in eo maximè, quem deperibat, obſeruandum, quietem poſtremò à parua illa Cupidine, quæ eum ſuis antè iaculis excruciabat, recuperauit: poſthac vbi decreuit quotidie, dum viueret, S. IOSEPHI Litanias recitare, penitùs

ab illo malo conualuit; niſi quòd tunc, cùm ſtatutas illas preces aut ex obliuione, aut occupatione prætermitteret, ſentiat aliquantùm ſe à priſtino affectu inuadi. Poſſem hoc loco rem huic prorſus conſimilem in medium afferre, de aliâ itidem perſonâ eouſque in tranſuerſum à præpoſtero amore abreptâ, vt ſomnum ei eriperet, periculum veſaniæ illi accerſeret; tamque deſperatis cogitationibus iactaretur, vt de perſeuerantiâ in religioſâ familiâ, in quâ viuebat, dubitaret. Ex eo Labyrintho vt euaderet, admonita fuit nouem diebus continuis ſancti IOSEPHI Roſarium recitare, de quo ſuprà egimus, eodemque tempore aliæ quoque Religioſæ virgines quibuſdam pijs exercitijs ſanctum IOSEPHVM ei placârunt; quàm primùm igitur nouenariæ illæ preces aliæque fuerunt perſolutæ, Monialis illa reſpirauit, tam in corpore, quod deterius quotidie habebat, quam in animo ſibi reſtituta;

ita vt inſanus ille amandi æſtus in dies imminueretur, ac poſt paucos dies penitùs extingueretur.

Plura ſunt eiuſmodi beneficia & auxilia, quæ maximus hic Diuus quotidie in diuerſis affectuum noſtrorum victorijs, quoties rogatur, ſolet indulgere: ſed quis omnia enumeret? præſertim, cùm ij, quibus ea obtigerunt, demiſſionis ſtudio clam habeant, neque euulgent: ſufficiat, eos, de quibus tecum egi, ſua mihi beneficia explicare auſos, vt ea vniuerſis publicarem, atque, ſi poſſem, ad propagandam S. IOSEPHI gloriam, clientumque eius in eundem fiduciam in detegendis animi morbis, vt dignâ paternæ illius bonitatis materiæ, adhiberem.

Et hæc de interioribus morbis & cupiditatum curâ diximus. At mors animi & malus interior ſtatus adhuc in mentibus reſtat, in nimiam licentiam effuſis: & hæc ſupereſt abolenda, animique illi in gratiam & amicitiam Dei perfectâ morum emendatione reducendi;

cendi; in quâ S. IOSEPHVS cumprimis propitium ſe præbet.

Nobilis quidam Venetus S. IOSEPHI ſtudioſus, quotidie coram quadam eius imagine flexis genibus preces quaſdam peragere ſolitus, cùm ex periculoſo morbo decumberet, nihil minùs quàm de confeſſione cogitabat, etſi malè ſibi eſſet conſcius; ſed totus in procurandâ corporis ſanitate in conſulendis medicis, in inquirendis remedijs fuit. Quid putemus, S. IOSEPHVM egiſſe, qui ob veterem pietatem ægro fauebat? Egit, quod amicum, quod patrem decuit; ei enim ſe videndum exhibens, iuſſit illum ſeriam ſcelerum confeſſionem maturare, ac mortem opperiri, citiùs illi, quàm crederet, ſuperuenturam. Id conſiliũ vt non contemnendum æger arripuit, & quàm primùm ad frugem redijt, SS. Sacramentis ritè munitus: ita à S. IOSEPHO animatus cum morte fuit luctatus, à quâ ex hac vitâ fuit in feliciorem tranſlatus; ad quam amabilis eius Pa-

tronus

tronus, antè vltimi certaminis præſens ſpectator eum deduxit, gloriam inde promeritus, quòd ab infortunio æterno illum eripuiſſet, qui tam fidelem conſtantemq; illi ſeruitutem ſeruijt. a

Hoc exemplum, inquies, fortaſſis antiquum eſt. recentiora igitur habe, quæ ab hominibus fide dignis ipſe excepi.

Quidam è Societate noſtrâ aliquos amicorum ſuorum rogabat, vt nouies rem diuinam peragerent, totiesque SS. Communionem in honorem S. IOSEPHI offerrent, quò Deus huius Diui precibus exoratus dignaretur, è cognatis ſuis Eccleſiaſticum quendam à licentiâ vitæ ſolutioris reuocare, qui à quatuor aut quinque annis ita fuit illi immerſus, vt neque adhortatione, neque precibus poſſet ad vitæ honeſtatem, Dei, ac hominũ metu induci, quemadmodum illius conditionem ac impreſſum characterem deceret. Hîc tu mihi Dei bonitatem conſidera, ſimulque quàm S. IOSEPHVS ſit ad noſtras

a Ex Iſid. p. 4. c. 10.

ſtras preces facilis. Accidit enim, vt eodem tempore, quo preces illæ inſtituebantur, Clericus ille iuxta cognatū eius votum in morbū incideret, quem illi à Deo vt profuturum immitti noſter poſtulabat, ſi aliter non poſſet facilè ad frugem reuocari, ſpe plenus, ægritudinem grauiorem cauſam illi melioris animi fore, quo ſtatuat, effrenatæ vitæ nuntium remittere, Deique causâ generoſum aliquod facinus ſuſcipere. Ita prorſus ei res è ſententiâ ſucceſſit: æger enim iam morti proximus, & omnibus SS. Sacramentis munitus ſubitò fuit non ſine miraculo ſanitati reſtitutus, ac periculi expers decreuit, vitā deinceps aliter inſtituere, ſeq; ac facultates ſuas negotio cuidam, quod plurimum ad Dei gloriam propagandam faceret, impendere. Quod reipſa prȩſtitit, vitam admodum moderatam exorſus, ac negotium illud tanti emolumenti ſeriò proſecutus. Tam memorabilis vitæ commutatio Pariſijs, alterū verò Lugduni contigit.

Iuue-

Iuuenis honeſtæ conditionis iuuentutem in virtutis ſtudio, Deique timore exegerat, vtque ſalutem ſuam in tuto collocaret, concluſum illi erat, mundo ſe ſubducere. Sed illa iuuenis ſententia, cùm cognatis diſpliceret, ab eâ mente illum peſſimo conſilio auocârunt: vbi enim ille vidit, ſuo ſe voto fruſtratum, ſenſim laxiorem vitæ rationem ſecutus in peius prolabebatur, ac demum turpi ſe libertati permiſit. Inde ſumptis armis militiæ ſe tantâ licentiâ addixit, vt nullum flagitij genus eſſet, quo ſe non contaminaret. Interim parentes, non omnino bonæ mentis expertes, ingenti mœrore afficiebantur, agnitoque ſuo errore non deſinebant illum ad reditum, & vitæ inſolentioris deteſtationem hortari; quin datis ad eum litteris amicos quoque in eum ſubornabant: ſed nihil poterat obſtinatum animum ad officium reuocare. Tandem decernunt, eius curam S. Iosepho commendare, eumque precari, velit hunc prodigum nepotem,

potem, ac effrenem iunenem in ſuam fidem recipere. Ecce tibi, mira conuerſio! triduo poſt exactas preces deſperatus ille iuuenis domum repetit, veniamque à ſuis neceſſarijs erroris precatus, pollicetur ſe frugi fore; exinde vitam aggreſſus eſt primis initijs dignam. Credibile eſt, Deum S. IOSEPHI amore, perſeuerandi in bene cœptis gratiam illi facturum.

In templo noſtro Lugdunenſi, quod eſt S. IOSEPHO ſacrum, votiuam tabulam videre eſt, vxoris anathema, quæ ob diſſolutos impudicoſque mariti mores grauiter afflicta, cùm malo afferre remedium non poſſet, marito adhortationes omnes aure ſurdâ prætereunte, votum ad S. IOSEPHVM edidit, vt marito ſuo vitæ melioris auctor eſſet. Quo facto coniux penitùs iam alius, Deo ac S. IOSEPHO id agentibus, eam viuendi rationem inijt, vt de inconceſsâ vitæ licentiâ, violandaque matrimonij fide nihil amplius cogitaret.

Qui-

Quidam mihi familiaris non ita pridem, cùm ſciret, me librum de S. IOSEPHO meditari, pro ſuo in me candore ſcripſit, huius Diui ope è miſerabili ſe vitæ ſtatu ereptum: ſe videlicet, cùm graui crimine ſe obſtrinxiſſet, violati voti reum, quod olim conceperat, non potuiſſe in animum inducere, vt eam noxam Sacerdoti pro confeſſione aperiret. Cumque hac difficultate ac honore aliquamdiu laboraret, vt hunc tandem impium pudorem exueret, gratiamque conſequeretur, animæ ſuæ ſaluti conſulendi, conſtituiſſe per nouem dies Hymnum ac Orationem de S. IOSEPHO dicere. Quo numero expleto nouos ac meliores ſibi ſenſiſſe animos addi, vt omnia ſyncero candore Sacerdoti explicaret. Quod ille magno vitæ probioris decreto peregit, ſuſcepto etiam propoſito, ſe ipsâ eadem nocte aduerſus inhoneſta ſomnia S. IOSEPHI imaginem aſſumpturum: in cuius vſu faſſus eſt, magna ſe inde beneficia retuliſſe.